DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CANTHARIDIBUS;
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI,
Et nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICAE decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER HUNTER, SCOTO-BRITANNUS.

A ſimplicium cognitione ortum medicina duxit.

P. CASTEL. ROMANI opt. med.

Nullum generoſum remedium eſt, quod non poſſit prodeſſe, et ſimul etiam nocere.

GALEN.

Tertio kal. Novembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI,

Ex officina R. FLAMINII. M.DCC.LIII.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CANTHARIDIBUS.

VIRO ORNATISSIMO

D. D. ANDREAE MITCHEL,

UNI EX SENATORIBUS

IN PUBLICO REGNI CONVENTU

INFERIORI;

QUI NUPER SCRIBAE REGII,

NEC NON LEGATIONIS PUBLICAE, MUNERA,

SUMMA CUM LAUDE SUSTINUIT;

CONSANGUINEO SUO HONORANDO:

NEC NON

D. ARCHIBALDO HAMILTON,

MEDICINAM APUD EDINENSES

FELICITER EXERCENTI,

EXIMIAE SPEI JUVENI,

AMICO SUO

MAGNOPERE COLENDO:

NEC NON

NEC NON

D. BENJAMINO WYNNE,

CHIRURGO SOLERTI,

ET MEDICI VICEM SUPPLENTI

LEEDESII;

CUJUS PLURIMA BENEFICIA

SILENTIO PRAETERIRE NEFAS ESSET:

NEC NON

D. JEREMIAE BATLEY,

MERCATORI LONDINENSI,

CIVI UTILISSIMO;

SCIENTIA, PROBITATE, JUSTITIA,

NEMINI SECUNDO;

SIBI CONJUNCTISSIMO:

QUATUORVIRIS CARISSIMIS:

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO OFFERT

ALEX. HUNTER.

DISSERTATIO MEDICA,

DE CANTHARIDIBUS.

SCIENTIA ſimplicium medicamentorum medicis magni eſt momenti, et ita neceſſaria, ut ſine ea, nemo ritè medicinam facere queat: hâc neglectâ, quanti errores, quantæ ſtrages! Humanum corpus, tam ex ſua fabrica, tam ex quamplurimis aliis cauſis, variis morbis obnoxium eſt; quibus tollendis minuendiſve ars medica præcipuè invigilat, et ad hos domandos atque expellendos multa auxilia DEUS OPT. MAX. nobis ſuppeditat. Latum certè materia medica exhibet campum, in quo naturæ eximii ſcrutatores multum ſudavere.

INTER hæc auxilia quidem eminent CANTHARIDES; de quarum hiſtoria et uſu, in variis morbis tractandis, liceat mihi pauca proferre, non ex pruritu ſcribendi, ſed ut legibus hujus almæ Academiæ obtemperem.

Hæc inſecta tam a Græcis quam Latinis CANTHARIDES appellantur, noſtrates autem vulgo MUSCAS HISPANICAS di-

cunt, quanquam omnino ſunt ſcarabæi generis; veruntamen ita muſcarum generi appropinquant, ut eorum elytra, ſeu alæ externæ, molliores et magis flexiles ſint quàm genus ipſum ſcarabæorum. Eorum longitudo ſemipollicis eſt, et latitudo paulo minor tertiâ ejus parte. In ſuperficie ſuperiori, colore ſplendenti violaceo gaudent, ſeu potius aureo fulgore viridanti, et parte inferiori viridia ſunt cupreo colore obumbrata.

CAPUT exiguum eſt, cum duabus antennis moderatæ longitudinis, quæ tenues ſunt et valde mobiles. Oculi ſubobſcurè fuſci, et optimè ab externis injuriis ſpiſſâ et firmâ corneâ muniuntur. Pectus planum, ejuſque coſtæ aliquantulum rugoſæ et tuberculis obſitæ. Sunt illis ſex crura, quorum longiſſima maximè ſunt a capite remota. Alas habent duas valde tenues, politas et lineolis aureis ornatas elytris immediatè ſuppoſitas, quæ inter volandum extenſ[illegible] eas in aere ſuſtinere juvant. Quando dorſum ope microſcopii aſpicitur, amabili colore lucet, et quoad texturam haud multum differt a corio *Shagreen* vulgó dicto.

FABRICAM eorum internam numquam erat mihi copia explorandi: quibus cura eſt hanc inveſtigandi, illi conſulant ALDROVANDI librum de inſectis.

AB ovis parentis CANTHARIDIS exiguum genus vermis naſcitur, ſubfuſci coloris, obſcuriori capite; et ab his vermibus deinde

deinde producuntur CANTHARIDES, poſtquam eandem mutationem ſubierunt, ac erucæ antequam papiliones fiant.

IN Gallia, Hiſpania, et Italia copioſè producuntur, ibique ab arborum ac plantarum foliis cujuſcunque generis paſſim colliguntur. Poſtea vaſe, panno linteo obtecto, quod inverſum ſuper fumum ferventis aceti ſuſpenditur, incluſæ citò moriuntur: deinde radiis ſolaribus, ut areſcant, exponuntur. Quæ ſunt integræ, probè exſiccatæ, et priſtinum ſervant colorem, uſui medicinali optimè inſerviunt.

CANTHARIDIBUS ex retorta diſtillatis, primò liquor limpidus, ſubſalſi pungentiſque ſaporis; ſecundò coloris ſubfuſci, guſtatuque peraſper aſſurgit; dein qui tertiò prodit, is empyreumaticus, et adeo acer eſt, ut guttulam vel minimam ferre lingua vix poſſit; quartò autem ſal volatilis acriſque copiâ mediocri; et poſtremò, quantitas olei nigri fætidique parca oritur, dum nihil præter paululum terræ, vel capitis, quod vocant, mortui in vaſe ſuperſtat. *(a)*

CANTHARIDES, hiſce principiis orbatæ, omni ſuâ virtute deſtitui videntur; nam poſt hæc, licet aſpectui integræ appareant, ſi emplaſtrum ingrediantur, et cuti apponantur, nullas tamen veſiculas attollere valent.

(a) VIDE HILL's mat. med. ch. 3. p. 823.

Ab hac analyſi patet, hæc inſecta ex iiſdem principiis conſiſtere, quibus formantur alia corpora animalia; hâc differentiâ, quòd plus habent ſalis volatilis animalis. *(a)*

Inter auctores dudum litigatum eſt, in qua parte præcipuè vis cauſtica reſiderit. Borrichii *(b)* ſententia eſt, qualitatem hanc ſtimulantem in ſpiculis conſiſtere, quæ corpus undique tegunt. Sed hæc opinio prorſus convellitur, obſervando eas vires ſtimulantes adhuc retinere, etſi ſub forma puriſſimæ tincturæ propinatas. Objectionem hanc etiam ab analogia confirmare poſſumus; nam experimentis conſtat, *(c)* ſalem volatilem urinæ cuticulæ applicatum, ibique quolibet emplaſtro adhærente retentum, eoſdem effectus producere quos Cantharides cuti applicatæ, ſcilicet calorem, dolorem, inflammationem, ulcuſcula, &c. Concludere igitur liceat, vim illam omnem, qua Cantharides corpus noſtrum afficiunt, hiſce earum principiis quæ chemicè extrahuntur pendere.

Hactenus de natura Cantharidum egimus; nunc ut medicamentum, internè uſurpandum, videamus.

Cantharides, doſi æquo majore exhibitæ, canalem totum inteſtinalem inflammant & exulcerant; ſedes mucoſæ & pu-

(a) Vigan medul. chem.
(b) Act. Hafnien. vol. 4. obſ. 80.
(c) Boeraaave chem. vol. 1. p. 546.

rulentæ

rulentæ fiunt; halitus etiam fœtidus et cadaverosus; doloribus intensis urgetur abdomen, regioque lumborum; renes, ureteres et vesica urinaria magnopere inflammantur; oritur stranguria, instat Lipothymia; æger vertigine corripitur, ad insaniam agitur, & furens moritur.

A MONUMENTIS antiquitatis, usum CANTHARIDUM internum antiquissimum invenimus. Iis usus est HIPPOCRATES, medicinæ parens; sed in omnibus operibus, ad vesicas excitandas, neutiquam mentionem facit. *(a)* In Hydrope hoc genus medicamenti exhibuit; nam dicit, " Si CANTHARIDUM " trium, ablato cujusque capite, pedibus et alis, corpora ex " tribus aquæ cyathis contrita exhibueris, potionem aquæ " subter cutem laboranti concinnabis: ubi ex epoto medica- " mento laboravit æger, calida perfundatur, ex oleo tamen " priùs inunctus, jejunus bibat, edatque panes calidos ex oleo."

(b) IN morbi regii quadem specie, ubi corpus lividum est, et aliquantulum durum, venæ subtensæ, pallidæ vel nigræ sunt; si venam secueris, pallidus vel niger effluit sanguis. In ejusmodi casu, ad diem septimum si accesserit medicus, CANTHARIDES sine alis & capitibus, numero quatuor ex vini albi

(a) DE rat. vict. in morb. acut. sect. 4.

(b) DE intern. affect. sect. 5.

heminâ *(a)* dimidiâ dilutas exhibere jubet *(b)*. Ad menſes etiam promovendas, atque ſecundinas expellendas, CANTHARIDES, Caſtoreo, &c. mixtas, laudat.

THOMAS BARTHOLINUS, cent. 5. obſ. 82. docet modum parandi infuſum CANTHARIDUM; quod, tanquam ſpecificum, extollit in Gonorrhæa virulenta, urinæ ſuppreſſione, et pellendo calculo.

CELEBERRIMUS MEAD, in curatione ſtillicidii, linguâ vernacula *a Gleet* dicti, tincturam ſequentem magnopere laudat. Hæc ſunt verba: *(c)* " Mihi multis jam annis in uſu fuit hujuſ-
" modi tinctura: Rhabarbari drachmæ tres, gummi Guajaci
" ſeſquidrachma, Laccæ drachma una, CANTHARIDUM con-
" tuſarum drachmæ duæ, Coccinellæ ſemidrachma, in ſpiri-
" tus vini rectificati ſeſquilibra infunduntur, et fit colatura.
" Hanc efficaciſſimam eſſe ſemper expertus ſum, et medicis
" chirurgiſque quamplurimis commendavi. Guttæ autem
" triginta ad quinquaginta uſque, (quantum ſcilicet ſine urinæ
" difficultatis metu ferri poterit) mane, & horâ decubitûs,
" ex aquæ tepefactæ hauſtulo aſſumuntur."

(a) HEMINA eſt menſura Græca, et continet uncias duodecim.

(b) LIB. 1. ſect. 5. de morbis mulierum.

(c) MONIT. medic. cap. 20. p. 156.

QUAM

QUAMPLURIMI ſunt morbi, quibus hæ muſcæ ſtimulantes valde proficiunt, medicamentis mitioribus fruſtra tentatis. Temperamentis ſcilicet pituitoſis et frigidis, ubi viſcera congerie mucoſâ onerata, reneſque et ureteres materiâ viſcidâ ſint occluſi, CANTHARIDUM uſui exitus erit feliciſſimus. Tunc enim, a CANTHARIDUM acrimoniâ, viſciditas copioſa ſolida defendit, donec ipſa ſit expulſa: quo facto, ſtatim a medicamento deſinendum eſt.

(a) GROENVELT CANTHARIDIBUS feliciter uſus eſt in Hydrope, in urinæ ſuppreſſione, et veſicæ exulcerationibus: dedit hic ſane eas quantitate non parva, ſub forma boli cum Camphora, interponendo largos hauſtus emulſionis, lactis, et ſimilium. Hoc modo vitatæ ſunt irritationes immodicæ, alioquin orituræ. Nihil verò adhuc notum corrigere, vel has tutas reddere poteſt, temperamentis biliioſis, ubi quævis ſit ad inflammationem proclivitas, et muco naturali viſcera ſint ſpoliata, vel inteſtina debilitata.

IN impotentia maxime proſunt, quando impedimentum a frigido humore, genitalibus incidente, procedit: et hîc cautè præſcribendæ ſunt, ne fortè inducatur Priapiſmus violentus, cujus exempla duo lethalia a CABROLIO memorantur. *(b)*

(a) DE tuto CANTHARIDUM uſu interno.

(b) OBSERV. anat. obſ. 17.

BURTONUS

Burtonus pulverem ex Cantharidibus, Camphora et cortice Peruviano, in tuſſi convulſiva, ex materia craſſa et viſcida orta, quaſi ſpecificum extollit; ſed quando humor diſtillans tenuis et acris fit, nocet.

Novi quidem obſtructionem pertinacem menſtruorum largis doſibus tincturæ remotam eſſe, Ecphracticis omnibus fruſtra tentatis: pariter vidi impetiginem, toti cuti obductam, quæ duabus ſalivationibus priùs reſtiterat, eâdem tincturâ, addito vino benedicto, remotam. Notatu dignum eſt, ægrotum, per totum tempus ex quo medicamentum cepit, urinæ quam maximè turbatæ ſedimentum craſſum, non antea obſervatum, depoſuiſſe.

Omnibus in morbis, quibus Cantharidum uſus internus præſcribitur, tincturæ forma magis arridet, hoc modo uſurpanda: incipiat æger aliquot guttas ſumendo, quas augeri decet, donec ardor urinæ ſupervenerit; tunc doſin parumper diminutam, donec ſcopus attingitur, continuari liceat.

Haec ſufficiant de uſu interno Cantharidum: nunc externum aſpiciamus.

De harum uſu externo acris inter celebris nominis medicos viguit contentio; aliis ipſas ob virulentam, nervoſas partes in vehementes

vehementes præter naturam motus abripientem, indolem, penitus e foro medico proſcribentibus; aliis, contrà, ipſarum uſum in multis et violentibus morbis, reliquis omnibus incaſſùm adhibitis, ſpectatiſſimum et in magno pretio quaſi ſecretum habendum, contendentibus.

NEMINEM certè in medica hiſtoria vel leviter verſatum latet, quàm acriter de hoc argumento, elapſo ſeculo, in Italia, HERCULES SAXONIUS et ALEXANDER MASSARIUS, illo defendente, hoc culpante, publicis ſcriptis decertârint.

CANTHARIDES capitis cuti affricandas, ad ulcuſcula inurenda, primus omnium præcepit *(a)* ARETÆUS. Item in Epilepſiæ tractatione utendas ſuadet; monetque ut triduo ante, lacti aſſueſcat æger, ne veſicam lædant CANTHARIDES. Eandem in hoc morbo, ut et nervorum reſolutione curanda, narrante AETIO, methodum tenuit ARCHIGENES. *(b)*

GALENUS deinde has muſcas, cum idoneis ceratis commixtas, commendat, ad ſcabiem, ad lepram, et ad urinam movendam *(c)*; ſed in omnibus aliis morbis ab uſu earum prorſus abſtinuit, notante CLERICO.

(a) CURAT. diuturn. morb. lib. i. p. 4.
(b) TETRAB. 2. ſerm. 2. 28. et 50.
(c) DE ſimpl. medicam. facult. lib. ii.

Qui Galenum consecuti sunt Græci earum usum vix recordantur: nova itaque inventa de Cantharidum usu frustra ab iis requiras.

Arabes, primi vesicantium inventores, nunquam iis utebantur, nisi ad excitandos soporosos et a morbo refrigeratos, ut videre est apud Oribasium; et nisi talis interveniisset necessitas, ab usu vesicantium prorsus abstinebant.

Apud Latinos nullo in pretio fuere, si conjicere liceat ex Celso, *(a)* qui aliàs, quàm in papulis detergendis, Cantharides non laudat. Ad Alopeciam tollendam Cantharides, cum pice liquida, præscribit Plinius. *(b)* Hinc Cantharidum usus externus apud veteres perrarus admodum videtur.

In seculis sequentibus, vesicantia magis erant usitata. Etsi ineunte seculo decimo sexto vix usurpata, tamen paulo post increbuit usus; et hodie ab omnibus medicis frequentissimè præscribuntur.

Quanta cautelâ sint præscribenda, Cantharidum effectus satis demonstrant; nam non citiùs cuti applicantur, et calore corporis calefiunt, quàm sales eorum caustici, in motum

(a) Lib. 5. cap. 25.
(b) Lib. 29. cap. 6.

acti

acti, nervorum extremitates vehementer irritant; unde oritur dolor et inflammatio, circulatio intenditur, diſſolvuntur humores, magis putridi deveniunt, et denique producitur febris violenta, cum lingua arida, ſiti ingenti, et pulſu velociſſimo.

Cum tales ſint Cantharidum effectus, quàm cautè ſunt præſcribendæ! Et non in omni febrium genere, et omni ſtadio applicandæ. Verum tamen, heu! quoties videmus ægrum, febri imflammatoriâ correptum, ſanguine miſſo, veſicantibus protinus excruciatum, et medicamentis calidis cardiacis quaſi combuſtum, et hoc nimirum ad ſudorem eliciendum, ut aiunt; quod idem eſt, ac ſi magni incendii reliquias oleo, vel ſpiritu vinoſo extinguere tentares: ita enim res ſe habet quoad veſicantia, ubi motus oſcillatorius vaſorum nimis fortis ſit, motuſque fluidorum plus æquo rapidus.

Baglivius, qui de veſicantibus tractatum egregium ſcripſit, monita plurima et eximia de uſu eorum edidit: *(a)* " In cor-
" poribus macilentis et gracilibus, cautè uſurpanda ſunt veſi-
" cantia; nam ſi alicubi, hic facillimè obortos vidi motus
" convulſivos, febris exacerbationem, &c. et quandoque cùm
" febris propè ſtatum eſſet, ex applicatione veſicantium re-
" crudeſcebat cum gravibus ſymptomatibus. Si tali corporis

(a) De uſu et abuſu veſicant. cap. ii. ſect. III.

" conſtitutioni

" conſtitutioni accedant calidior et ficcior temperies, tempus
" anni æſtivum, evacuatio aliqua copioſa anteceſſit, ſtatus
" ſanguinis ad diſſolutionem colliquationemque tendens, om-
" nino prohibenda ſunt veſicantia; idque in qualibet ætate,
" et quolibet morbo, ob peſſima inde ſubſequentia accidentia,
" ut quiſque per ſe obſervabit. Quamplurimi ex Galenicis ni-
" mium hærentes ſuis hypotheſibus, dum febres colliquativas
" ſive ex diſſolutione obſervant, credunt gravia ac improporti-
" onata earum ſymptomata a venenata qualitate dependere;
" ideò ad veneni avocationem quatuor, ſex, aut plura exhibent
" veſicantia. Poſt ea tamen ſæpiſſimè obſervavi convulſiones,
" abſceſſus in viſceribus, deliria majora, febris maximum in-
" crementum, ac tandem mortem; ob diſſolutam ſcilicet ma-
" gis magiſque ſanguinis maſſam a cauſtico CANTHARIDUM
" ſale, et ab acri pariter febris materiâ. In delirantibus cum
" febri acuta, et lingua arida, dum applicabantur in Xenodochio
" veſicantia, celeriter omnes moriebantur, et magna ex parte
" convulſi: quibus repetitis eventibus perterrefactus, ipſe poſtea
" feliciter uſus ſum remediis diluentibus, emulſionibus, refri-
" gerantibus, et ſectione venæ frontis.

IN Hydropis ea ſpecie Anaſarca dicta, tibiis ac femoribus applicari jubentur veſicantia: ſed uti vulnera, quamvis minima, in habitibus leucophlegmaticis curatu ſint difficillima, præcipuè

in

in extremitatibus inferioribus, quæ ſunt aquis obrutæ, et quibus calor naturalis deficit, methodus hæc ſanè minimè laudanda.

(a) Septalius fidem facit, ſe quadraginta annorum ſpatio, quo medicinam fecerat, nullos unquam, quibus a medicis veſicantia admota, curatos vidiſſe, ſed ſemper gangrænas ſubſecutas curatu ferè impoſſibiles. Tamen exempla ſunt quædam hujuſmodi felicia, quorum *(b)* Riverius unum commemorat.

In febribus putridis et malignis, ubi ſanguis nimiùm diſſolutus eſt, vix indicantur veſicantia; nam diſſolutionem promovent, et putredinem augent: natura interdum ſanè ſtimulo indiget ſub morbi finem, dum ſolida fiunt torpida, circulatio languida, ſpiritus ſopiti, et æger comatoſus. In febribus ſupradictis, uti obſervat ingenioſus *(c)* Huxamus, pervigilium pertinax, delirium, urinæ ſuppreſſio, tremores, ſubſultus, &c. uſum eorum præmaturum concomitantur. Idem docet celeberrimus *(d)* Van Swieten; hæc ſunt verba: " Ubi verò humores diſſo-" luti, acres, in putredinem vergentes, et magnus motus adeſt, " veſicantia non tutò adhiberi poſſe videntur."

(a) Animadv. med. lib. vii. caut. 56.

(b) River. obſ. commun. a Jacoz. obſ. 21.

(c) *Eſſay on fevers, ch.* 8. *pa.* 119.

(d) Comment. in Boerhaav. aph. 75. vol. 1. p. 108.

Ægro apoplexiâ ſtupefacto medicos veſicantia præſcribentes, ſanguine prius miſſo, ſæpiſſime videmus; his quoque medicamenta calida, ſtimulantia ad ægrum miſerum ſuſcitandum, adjungunt: ſed quibus cautionibus methodus hæc limitari debeat, medico cuique perito ſatis conſtabit. Certe enim, orto a ſanguine extravaſato morbo, cura quammaximè in hiſce remediis præſcribendis eſt adhibenda. Ortâ quidem a ſanguinis viſcido lentore Apoplexiâ, prodeſſe poteſt hæc methodus; tunc ſanguinis miſſio cautè eſt inſtituenda, ſecundùm celeberrimum Boerhaavium, qui dicit, venæ ſectio, ni juvet, occidit. *(a)*

Morbis, quibus nocent veſicantia jam breviter notatis, et monitis quibuſdam de uſu eorum editis, aſpiciamus nunc morbos qui opem reverà vendicant.

In plurimis morbis oculorum prodeſſe veſicantia, concedunt univerſi. Tulpius *(b)* narrat ſe removiſſe cæcitatem veſicantibus amplis, femoribus internis applicatis; et in lippitudine mirificè eadem profuiſſe, teſtis eſt Forestus. *(c)*

In opthalmiæ curatione eminent veſicantia; et celeberrimus Hoffmannus narrat *(d)* hoc in morbo nuchæ applicata nihil

(a) De cog. et cur. morb. aph. 1029.

(b) Lib. i. cap. 10.

(c) Lib. i. obſ. 11.

(d) De veſic. et font. circumſpect. uſu, vol. vi. p. 69. ſect. 12.

valere,

valere, ſed potius morbum augere; contrà, quamprimum pedibus applicantur, non citiùs induci fluxum quàm ceſſaret dolor.

In tuſſi convulſiva maximos præſtant effectus, ſi a collo uſque ad clavicul̃m collocantur.

In doloribus capitis quoque multum Epiſpaſtica juvant. Inſigne habemus exemplum in febri remittente, quæ exercitum Anglicum anno 1748, in Flandriâ, epidemicẽ vexavit. Dolor capitis inter ſymptomata graviſſimum erat, qui, durante vel ceſſante morbo, noctes dieſque ægrum excruciabat, aliquando in anteriore, aliquando in poſteriore capitis parte ſitus: hoc ſymptoma, teſtante Home, *(a)* ſæpe aufugiebat parvis Epiſpaſticis temporibus applicatis, quod aliter per plurimas ſeptimanas duraviſſet, quando nihilum quidem profecerunt Epiſpaſtica magna inter ſcapulas applicata.

In Odontalgia praxis quotidiana veſicantium beneficia confirmat, ſi pone aures applicentur; et hîc non evacuatione, ſed potius vi ſtimulante morbum tollere videntur; ut olim obſervavit Hippocrates; " Duobus doloribus ſimul non eundem locum " infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat." *(b)*

(a) Dissert. inaug. de febr. remit. p. 25.

(b) Lib. 2. aph. 49.

In

In Epilepſia idiopathica, derafis capillis, per univerſum caput veſicantia applicare jufferunt *(a)* Septalius, *(b)* Riverius, *(c)* et Piso, hac cum præcautione, ut veſicæ diu ſerventur apertæ, quo continuo per eaſdem fluat humor. Quo etiam referenda Hippocratis obſervatio, qui de morb. facr. perhibet, ulcera capitis manentia ſi fiant pueris, eos a comitiali morbo liberare.

In Aſthmate ſpaſmodico Hoffmannus veſicantia valde laudat: " Ex pectoris affectibus, ait, truculentum illud aſthma " ſpaſmodico-convulſivum, præſertim ſi ex retrocedente, vel " remanente, Podagra prognatum, egregiè levari, veſicis in " ſuris excitatis, multiplici compertum habeo experientiâ." *(d)*

Doloribus etiam rheumaticis et podagricis nobis commendat, maximè verò contumaci chronico iſchiadico dolore, nullam pariter aliam ob cauſam, quàm quod ſerum acre nervoſis et tendinoſis partibus firmiùs impactum, in motum cieant et evacuationem ſollicitent.

In tuſſibus graviſſimis cum ſputo craſſo et copioſo, nullum medicinæ genus magis proficere, vult Willisius, ubi ait, " Fa-

(a) Lib. vi. cap. 29.
(b) Prax. lib. i. cap. 8.
(c) De morb. ex colluv. ſeroſ. cap. 19.
(d) Vol. vi. p. 69. ſect. 13. de veſic. et font. uſu.

" teor

" teor me ſæpius tuſſi immani, cum ſputo copioſo et craſſo, cui " originaliter ſum obnoxius, correptum, a nullo alio remedio, " plus quàm a veſicatoriis juvamen recepiſſe." *(a)*

Magno ſunt uſui veſicantia in peripneumonia notha, non ſolùm ob eorum qualitatem ſtimulantem, ſed etiam quia partem colluviei morbidæ evacuant. In hoc morbo ſæpe evenit, quòd extremitates torpidæ fiunt, et frigeſcunt; et hoc ſymptoma peſſimum judicatur: ideoque, antequam imponantur veſicantia, fricari debent, et poſtea panno laneo convolvi, (quod inſuper eſt admodum neceſſarium in lentis et nervoſis febribus;) hoc enim elevationem veſicarum, et fluxum conſequentem promovet.

In pleuritide, *(b)* poſt venæ ſectionem, veſicatorium, lateri affecto admotum, valdè laudatur; quod ſcopum attingere videtur, materiam impactam attenuando, et vaſis obſtructis motus oſcillatorios conciliando; irritatio etiam in ramos exteriores arteriarum intercoſtalium efficere poteſt, ut quantitas minor ſanguinis per vaſa interiora, dato tempore, fluat: et hoc nomen revulſionis propriè meretur. In hoc morbo, quando, circa ſeptimum diem, magna ſpirandi et expectorandi ſputi difficultas ſupervenit, hæcce veſicantia, tibiis vel cruribus admota, egregiè valere contendit Baglivius *(c)*.

(a) De medicam. oper. ſect. 3. cap. 3. p. 271.

(b) Mead monit. med. cap. 1. ſect. 7. p. 37. Pringle's *Obſ. Part* 3. *Ch.* 2. *p.* 173.

(c) Dissert. de uſu et abuſu veſic. cap. 3. ſect. 1.

QUA demum de cauſa hæc epiſpaſtica hîc profecerunt, vix intelligi poteſt, niſi ad crura et tibias tumores fiant, uti obſervat HIPPOCRATES, *(a)* " In pulmoniis quicunque tumores fiunt ad " crura, boni." In hoc caſu, CANTHARIDES, hiſce partibus applicatæ, cutem vulnerant, et materiam eliminant; at aliàs, ſi natura non hanc affectâſſet viam materiam extirpandi, muſcæ hæ appoſitæ coctionem morbi turbarent.

INEUNTE febri inflammatoria, cúm circuitus ſit velociſſimus, et ſanguis lentore inflammatorio præditus, veſicantia, quamvis humores viſcidos potenter ſatis incidant, ob ſtimulum quem vaſis inferunt in hoc febris ſtadio, locum habere tutò non poſſunt; ſub finem verò morbi, ubi æger debilitatus eſt, pulſuſque debilis, et ſpiritus depreſſi, ad naturam excitandam, jam languidam, et luctando fatigatam, aptiſſima, quo melius criſis perfecta efficiatur.

IN febri autem nervoſa, ubi ſolida ſunt laxa, et fluida inertia, fluidum nervoſum perparcè in cerebro ſecernitur, dum humores interim ſeroſi et lymphatici, diutiùs in vaſis remorantes, lenteſcunt, et obſtructiones pariunt: hîc veſicantia divinas medentibus ſolent porrigere manus; nam vaſa non ſolùm ad contractiones fortiores ſtimulant, et ſanguinis motum promovent, ſed a ſale quoque acri, humores viſcidi, lenti et inertes attenuantur.

(a) LIB. ii. progn. 67.

IN

In febribus quibus adeſt delirium, veſicantia, aut cataplaſmata acria, ritè applicata, ſymptoma frequenter removent; ſed utrum revulſione, vel animum fortiter afficiendo, incertum eſt. Quotidie obſervatur, quòd levia deliria ſæpiſſimè tolluntur, a luce oculos ægri fortiter feriente, aut alia quavis cauſa qua ſuſcitatur ægri attentio: immò ipſe medici aſpectus, ut vulgò notatur, hoc ſymptoma ſæpiſſime tollit, quod eo diſcedente protinus redit. Annon hocce delirium, revulſione, vel animum afficiendo, ſolvitur?

Spectatis jam variis ſententiis, quas antiquiores et recentiores de horum veſicantium uſu amplexi ſunt, huic diſſertationi finem imponamus, verbis Baglivii. " Quantum in conſtitutione ſanguinis acri et colliquativa obſunt veſicantia, tantundem " conferunt in diatheſi ejuſdem craſſa, viſcida, et ad coagulationes ſtagnationeſque ſe diſponente. In febribus qui exiliſſimo " pulſu, extremitatibus frigidis, anxietate, ad morbos ſoporoſos " propenſione, aliiſque coagulationis indiciis ſtipantur, dictu eſt " incredibile, quàm proficuos effectus efferant veſicantia; multo majus ſi aderunt tempus hyemale, temperies ægri ad humidum inclinans, habitus pinguis, et ſimilia; communicato namque acri Cantharidum ſale humoribus ad coagulationem " diſpoſitis, eorum particulas diſgregat, ſolvit, et ad priſtinam " fluiditatem diſponit: verbo dicam, ad ſolvendas incipientes " ſanguinis coagulationes, ſtagnationeſque in quocunque mor-

" bo,

" bo, qualibet ætate, temperamento, anni tempore, &c. vix ul-
" lum præſtantius, et ita celeriter agens obſervavi remedium,
" quàm veſicantia." *(a)*

Sic tandem pro ingenii tenuitate, et temporis anguſtia, ad finem perduximus hanc curtam nimis et imperfectam diſſertatiunculam, de qua, candide lector, cordatè judica. Tu interim, ſi in hoc ſpecimine vires defecerint, aut in conſcribendo ordo, vel ratiociniis error irrepſerit, benigno ut interpreteris animo, rogo et confido. Si quid dixerim intelligas, voti ſum compos, ſermonis elegantiæ et nitoris minimè ſtudioſus. Pulchrum eſt benefacere reipublicæ; etiam benedicere haud abſurdum eſt. Sed hæc non multis contingunt; nec invitâ Minervâ tentanda. Utinam quæ verbis deſunt, rerum ſcientiâ ſuppleri poſſint. Nihil jam reſtat, niſi ut præceptoribus meis eruditiſſimis quamplurimas habeam gratias.

(a) De uſu et abuſu veſic. cap. 3. ſect. 1.

FINIS.